PS. CLEMENS. RUFINUS
2. Viertel 12. Jh. Seite 39r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



mundo. et ideo purificatione indiget baptismi. ut exeat ab eo spc
inmundus qui interioris anime ipsius insedit affectus. Et quod est de
terius nec quod intrinsecus lateat indicatur. agens uti ne publicatus fugetur.
Amant enim isti spc inmundi inherere corporibus hominum. ut ipsorum
ministerio cupiditates suas expleant. et ad ea que ipsi desiderant in
clinantes anime motus. suis eos parere libidinibus cogant. ut effi
ciantur ex integro uasa demonum. Ex quibus unus est symon hic. qui tali
quodam morbo comprehensus nec sanari iam potest quia uoluntate et propo
sito egrotat. nec contra uoluntatem eius habitat in eo demon. Et ideo si eum
quis fugare uelit et expellere ab eo. cum sit inseparabilis et ut ita dicam
anima iam eius effectus. uidebitur magis necare eum et homicidii cri
men incurrere: Nemo quoque uirum circumstetur a conuiuio nostro separatus. Tem
pore enim aliquo obseruare debet unusquisque sane quanto ipse uoluerit.
Paruo enim tempore sequestratur qui cito uoluerit baptizari. multo autem qui
tardius. Unusquisque quoque habet in sua potestate breue aut longum peniten
tie sue tempus exigere: Et ideo in uobis est quando uelitis ad nostram con
uenire mensam. et non in nobis quibus permissum non est sumere cum aliquo cibum
nisi prius fuerit baptizatus. Vos quoque magis nos prohibetis a uestro conuiuio. si
ad purificandum moras habeatis et tardius baptizemini. His dictis
cum benedixisset cibum sumpsit. et post hec cum gratias egisset domino ingressus
quieuit. similiter autem et nos omnes. Erat enim etiam noxe.

Interea Petrus gallorum cantibus surgens excitare
nos uolens inuenit uigilantes. uespertino adhuc lumine perduran
te: Cumque ex more salutauisset et resedissemus omnes. ita exorsus est.
Nichil est difficilius fratres mei. quam de ueritate apud permixti populi multitu
dinem disputare: Quod enim est. omnibus ut est dici non licet. propter eos qui maligne
et insidiose audiunt. Fallere uero non expedit propter eos qui sincere audi
re desiderant ueritatem: Quid quoque faciet cui ad indiscretum populum sermo est.
Occultet quod uerum est. et quomodo instruet eos qui digni sunt. Sed si ueram